



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

CXV. Constituitur Procurator in Urbe pro Missionibus externis Ordinis
Minorum S. Francisci Cappuccinorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](#)

ANNO

1733.

Concessio.

nignite Apostolica dignaremur. Nos igitur praedictum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis profequi volentes, & a quibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penitentia, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innovatus existit, ad effectum praestantium damnataxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore cententes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Abbatii Generali dictæ Congregationis pro tempore existentes, ut ipse semper unum Abbatem sine regimine Monasterium ejusdem Congregationis, qui tamen voce activa & passiva in Capitulo Generali, ceterisque prærogativis ac præminentibus ad instar aliorum Abbatum Regininis frui ac potiri debeat, arbitrio suo relinquere ac destinare libere & licite possit & valeat, auctoritate Apostolica tenore præfinitione concedimus & indulgemus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Congregationis & Ordinis prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboretur statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo labore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariae quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anullo Piscatoris die 6. Octobris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

C X V .

Constituitur Procurator in Urbe pro Missionibus exteris Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum.

C L E M E N S P A P A XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Cherubinus de Noves, Frater expresse Professus, Custos, ac Socius Generalis Gallus, Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quod dilecti filii Ministri Provinciales Regni Galliarum dicti Ordinis, Missionibus exteris, quæ Fratribus ejusdem Ordinis sub ditione charissimi in Christo filii Nostris Ludovici Francorum Regis Christianissimi degentibus demandata sunt, auctoritate Apostolica præfecti, tempore ultimi Capituli Generalis Ordinis præfati in Alma Urbe Nostra celebrati, ipsum Cherubinum Procuratorem in Romana Curia dictarum Missionum, quarum curam & onus ab undecim jam annis laudabiliter, & ex animi nostri sententia sustinuit, unanimi consenserunt ac deputarunt, quemadmodum quoque factum est a dilecto filio moderno Ministro Provinciali Provinciae Hibernie prædicti Ordinis, & alias, prout uberioris continetur in eorumdem Ministrorum Provincialium patentibus literis super expeditis, tenoris, qui sequitur.

Reverendissimo Patri Cherubino de Noves, Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum Alumno, Concionatori Provinciae Sancti Ludovici, in Romana Curia generaliter Assistenti Provinciali, & Missionibus Gallicanis ejus-

dem Ordinis, ac propriæ Nationis, Provinciae sua pro Comitiis Generalibus Custodi, Consulteri Sacrarum Congregationum super Indulgentiis, Reliquiis, necnon Sacrae Congregationis Indicis, sanctique Officii Qualificatori,

Nos Provinciales infra scripti ejusdem Ordinis & Nationis, prefeliciter Apostolici, licet immeriti, salutem in Domino.

Cum plurima Nobis incumbant tum apud Summum Pontificem, & Sanctam Congregationem, tum apud alios sive intra sive extra Religionem Romæ gerenda negotia pro Missionibus & Missionariis nostris, qui a Sacra Congregatione deputati, ac Regis Nostri Christianissimi protectione suffulti, toti se tradunt Infidelium Conversioni, Reverendissimam Paternitatem Vestram, de cuius pietate, prudenter, probitate, summo zelo, experientia, & capacitate plurimum in Domino confidimus, ad ea pertractanda negotia in Procuratorem præfatarum Missionum deputandam judicavimus. Ideo virtute præfentium Paternitati Vestre Reverendissimæ facultatem facimus, & omnem auctoritatem nostram commitimus in his omnibus, quæ versantur tum circa nostras Missiones, tum circa alias quacunque negotia, pro quibus recurrendum nobis foret ad Curiam Romanam eisdem Missiones: resque alias, quæ ad Provincias nostras pertinent, humillime in Christo commendantes. interim Deum Optimum Maximum suppliciter deprecamur, ut Reverendissima Paternitati Vestre det illam Sedem suarum assistricem Sapientiam, quæ cum ipsa sit semper, & laboret, eamque ad communem Ecclesiæ utilitatem, Ordinisque nostri ac nostra Nationis decorum diu incolumem servet. In quorum fidem præsentes manu propria subsignatas dedimus in Conventu nostro Romano die 4. mensis Junii 1733.

Fr. Claudio Maria Ambianensis Provinciae Provinciae Parisiensis.

Fr. Franciscus Maria Tannayensis Provinciae Provinciae Turonensis.

Fr. Gregorius Alenconius Provincialis Provinciae Normanniae.

Fr. Josephus Maria Dolensis Provincialis Provinciae Britanniae.

Fr. Joannes Baptista a Gratianopoli Provincialis Provinciae Lugdunensis.

Fr. Nicolaus a Calvomonte Provincialis Campaniae.

Reverendissimo Patri Cherubino de Noves Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum Alumno, Concionatori &c.

Nos Fr. Philippus à Kennedy Custos, & Praefectus Apostolicus Cappuccinorum Missionis Hibernie, licet immeriti, salutem e fonte salutis semper.

Cum plurima Nobis incumbant tum apud Summum Pontificem, & Sanctam Congregationem, tum apud alios sive intra sive extra Religionem gerenda negotia pro Missionibus & Missionariis nostris &c. In Conventu nostro Romano die 12. Augusti anno salutis 1733.

Fr. Philippus, qui supra.

§. 2. Cum autem, sicut eadem exposito subjungebat, ipse Cherubinus, quo munus, sibi per memoratos Ministros Provinciales commissum, utilius atque efficacius cum Socio suo Nationali, iuxta antiquum supradicti Ordinis usum ei concessu, exequi possit, præmissa Apostolica confirmationis nostra præsidio communiri plurimum desideret;

Dat. die 10.
Octob. 1733.
Pont. An. IV.A Capitu-
lo Generali
constitutus
Procurator
pro Missioni-
bus exteris.Literæ Pa-
tentæ Pro-
vincialium
Provin-
cia rum Gallie,
& Hibernie.ANNO
1733.

ANNO
1733.

Dicta De-
putatio con-
firmatur.

CLEMENS DUODECIMUS.

299 ANNO
1733.

desideret; Nos prædictum Cherubinum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliquis ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ac effectum præsentium tamquam consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censemtes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem ejusdem Cherubini in Procuratorem dictarum Missionum exterarum in Romana Curia, a Ministris Provincialibus Regni Gallicorum & Hibernie, sicut præmittitur, factam, expeditaque desuper patentes literas præfatas, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjungimus, ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint, supplemus.

Clausulae.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere, dictoque Cherubino in omnibus & per omnia plenissime suffragari; siveque in præmissis per quoquaque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si securus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attenari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Ordinis & Provincialium hujusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum præsentes pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariai quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Pro D. Cardinale Oliverio
C. Archiepiscopus Emissenus.

CXVI.

Fratribus Congregationis Hispaniarum Ordinis Sancti Joannis Dei, & Congregationis Italæ dicti Ordinis, prohibetur, ne alterutri ex dicta Congregationibus aggregentur sine consensu eorum respective Generalis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum, sicut dilectus filius Laurentius Navarro Frater exprese Professus, ac Procurator Generalis Congregationis Hispaniarum Ordinis Sancti Joannis Dei, Nobis nuper exponi fecit, Superiores Generales ejusdem Congregationis occasione præteriorum litium & controversiarum, quæ dictam Congregationem diu multumque exagitarunt, animadverterint, quod nonnulli illius Fratres accessum ad Sedem Apostolicam, ut se defendant adversus asserta gravamina, a prædictis Superioribus Generalibus eis illata prætexentes, ab ipsorum Superio-

Dat. die 14.
Oct. 1733.
Pont. An. IV.

Causæ hu-
jusce edendi
Decreti.

rum Generalium obedientia & jurisdictione se fe se subtrahere, atque e præfata Congregatione Hispaniarum ad Congregationem Italæ Ordinis prædicti, mediante etiam beneplacito Apostolico, absque eorumdem Superiorum Regularium consensu transire procurant, in grave dicta Congregationis Hispaniarum præjudicium, ac Regularis disciplinae detrimentum; cupiatque propterea ipse Laurentius, opportune in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri; Nos predictum Laurentium specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliquis ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censemtes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, & attenta relatione dicti filii Nostri Joannis Antonii Sanctæ Romanae Ecclesie Presbyteri Cardinalis Guadagni nuncupati, in Alma Urbe Vicarii Nostri in spiritualibus Generibus, ac Ordinis præfati apud dictam Sedem Protectoris, Nobis super præmissis facta, Generibus, aliisque quibuslibet Superioribus tam Congregationis Italæ, quam Congregationis Hispaniarum Ordinis hujusmodi, nunc & pro tempore existentibus, ne deinceps Fratres alterutri ex dictis Congregationibus, absque expressis consensu & licentia eorum respective Prioris Generalis, sive Congregationi adscribere & aggregare ullatenus audiant seu presumant, harum serie auctoritate Apostolica prohibemus.

§. 2. Præterea salubri dispositioni fel. rec. Urbani PP. VIII. Prædecessoris Nostri, per suas in simili forma Brevis die 20. Septembris 1634. edita, inhærentes, statuimus, ut Fratres dictæ Congregationis Hispaniarum, in Italia degentes, stent & maneat sub jurisdictione & correctione Prioris Generalis Congregationis Italæ; ac vicissim, si qui Fratres Congregationis Italæ fuerint in Provincia a Congregatione Hispaniarum dependentibus, subjacenti jurisdictioni & correctioni Superiorum Congregationis Hispaniarum: exceptis tamen Procuratore Generali, ac aliis Fratribus dictæ Congregationis Hispaniarum in eadem Urbe commorantibus, quos quidem Fratres Correctioni Procuratoris Generalis, ipsum vero Procuratorem Generalem jurisdictioni Protectoris Ordinis nunc & pro tempore existentis, auctoritate præfata tenore præsentium immediate subjiciamus.

§. 3. Volentes insuper, quod, si & quando in aliqua Provincia Congregationis Italæ repertetur Frater Congregationis Hispaniarum, Superioris locales id quamprimum renuntiare debeant Priori vel Procuratori Generali ejusdem Congregationis Hispaniarum, ut in eum, si alicujus delicti reus fuerit, debite animadvertri possit.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere; ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; siveque in præmissis per quoquaque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palati Apostolici Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si securus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attenari.

§. 5. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, supradictis Urbani Prædecessoris literis, ac quatenus opus sit, re. mem. Innocentii PP. XII. etiam Prædecessoris Nostri

Declaratio-
nem, quod
Fratres uniuersi
Congregati.
alteri aggre-
gari ne-
queant.

Fratres ve-
ro Congr.
Hispan. in
Italia degen-
tes, stent sub
correctione
Prioris Con-
greg. Italæ,
& V. V.

Roboratio
præsentium
Literatum.

Obstantium
derogatio.

super